

Franckesche Stiftungen zu Halle

Pavli Manvtii Commentariivs In M. Tvllii Ciceronis Epistolas Ad Diversos

Accedvnt Eivsdem Scholia Et Hieronymi Ragazonii In Easdem Ciceronis
Epistolas Commentariivs

Manuzio, Paolo

Lipsiae, A.C. MDCCLXXIX

VD18 90852230

Epistolae XIX.

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

[urn:nbn:de:hbz:5:1-219543](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:5:1-219543)

maculam inurat. cum enim cogere-
tur iudicium improbare, quo Fabius
damnatus erat; callide et amico ve-
lificatus est, et Pompeii tamen di-
gnitatis rationem habuit.

Vna sententia] Quae Fabium
sententiae damnarunt, vna tantum
plures fuere, quam quae absolue-
runt.

Eaque dubia] Quia condonatum
vnus potentiae iudicium existima-
tur: de iudicium enim integritate
non constat. non tuo, inquit, de-
lictio, sed vnus potentia ad gra-
uium sententiarum numerum acce-
ferit. Et hic Pompeio parcat tri-
bus modis. non enim dicit, *eaque*
corrupta, sed, *eaque dubia*: nec,
potentiae Pompeii, sed, *potentiae*

alicuius: nec, *condonatum sit*, sed
condonatum existimetur.

Molestiam] *Incommodum* appel-
lauit supra. notandum hoc genus
ad copiam.

Quam lenissime ERN. *lenissime*
ferre] Quam tamen ipse non le-
vissime ferebat: dixit enim in pri-
ma epistolae parte, *nullam rem*
gravius iamdiu tuli, quam incom-
modum tuum. sed illud, vt dixi,
quasi consolandi gratia posuit.

Et qui esse debet] Hoc addit,
quia, licet expectari soleat exitus
promissae rei, tamen expectatur
magis, cum promittitur id, quod
debetur.

EPISTOLAE XIX.

ARGVMENTVM.

*Cum Pompeius, Italia pulsus a Caesare, in Graeciam magno cum
honorum civium comitatu, in quibus uterque consul fuit, renouandi
belli causa nauigasset: Rufus ad eum officii causa, quod ea reipublcae
castra esse videbantur, transire cogitabat. eius consilium probat Cice-
ro; idemque sibi iam diu ait esse constitutum Pompeii causam meliorem
iudicat: de belli exitu non minus aduersa timere, quam sperare videtur
secunda. ad extremum tacite petit, non modo ut reipublicae, verum et-
iam amicitiae suae causa in sententia maneat. Scripta est post sequentem,
profecto iam in Graeciam Pompeio, C. Marcello L. Lentulo cons.*

EXPLANATIO.

Rufus] Cognomen hoc esse L. Me-
scinii, Ciceronis antea quaesto-
ris in Cilicia, iam pridem existima-
vi, adductus in hanc opinionem
epistola sequenti: in qua tum de
rationibus agitur ab eo referendis,
quod quaestorii muneris erat, tum
etiam Rufi frater M. Mindius nomi-
natur: et idem L. Mescinii frater
appellatur lib. 13. epist. 26. Nunc
iactor opinionem confirmari meam

vetere argenteo nummo, ita inscri-
pto, L. MESCINIVS RVFVS. is
nummus est apud virum doctissi-
mum, Episcopum Ilerdensensem, An-
tonium Augustinum. Alterum post-
ea nummum praestans vir Latina
et Graeca lingua, omnique liberali
doctrina perpolitus, Fulvius Ursi-
nus, mihi ostendit. De Mescinio
autem quaestore non solum lib. 13.
epist. 26. cuius proxime testimonio
sum

sum usus, verum etiam lib. 16. epist. 4. et iis ad Atticum sit mentio. alter Ciceronis quaestor, qui ferius in provinciam iuit, C. Coelius fuit, is ad quem scribit ultimam epistolam libri secundi.

Quod mihi ostenderas] Pro, significaueras, vt infra: *si feceris id, quod ostendis*. et lib. 1. epist. 1. *Ceteris in rebus se acerrimum tui defensorem fore ostendit*. et lib. 9. epist. 8. *Etsi munus flagitare, quamuis quis ostenderit, ne populus quidem solet, nisi concitatus*.

Liberius iudicium] Nam in provincia officio quaestorio adductus videri poterat eum studiose colere: cum praestare quaestor praetori suo debeat, quidquid officii potest; nec in eo liberum iudicium sit, confecta vero provincia, liberum iudicium datur, et verus animi sensus apparet, necessitudine quaestoria solutus.

Meo consilio] Quod eo non accesserim, quo me venturum putaveras. Fortasse propius ad ea loca se Cicero contulerat, vnde tutior commodiorque in Graeciam transitus daretur. dicit enim in extrema epistola: *Si simul placebit, statim ad me venies*.

Cepi fructum et iudicii et officii tui] Id est, fructum attulisti et iudicii et officii tui: declarasti non dubiis argumentis et iudicium et officium tuum.

Iudicii] Iudicium prius, deinde officium nominauit. eundem igitur in afferenda vtriusque causa ordinem seruat. contra vero lib. 15. epist. vlt. *Habes, inquit, de Caluo iudicium et consilium meum: consilium, quod hortandi causa laudauit; iudicium, quod de ingenio eius valde existimaui bene*.

Fortes ac boni viri] *Fortes*, qui pericula mortemque ipsam pro patria contemnant; *boni*, qui recte sentiant, honestumque rebus omnibus anteponant. significauerat Meisinius, velle se ad Pompeium transire, et, quoniam in bellum euntibus aduersa multa proponuntur; quae tamen fortem bonumque virum a sententia non deterrent; ideo, quasi vt currentem incitaret, imitationem in eo laudat fortium ac bonorum virorum.

Officii] Erga me, pro nostra necessitudine.

Consilium captum] Eandem cum Pompeio, reipublicae causam tuente, subire fortunam constitui.

Iamdudum] Atticum tamen, anceps animi, saepe litteris consuluit, quid sibi agendum censeret. certior enim in Caesaris castris victoria videbatur. ad extremum, pudore victus, ad bellum ciuile, tanquam ad pestem ante oculos positam, profectus est. qua de re sic lib. 6. epist. 6. *Valuit apud me plus pudor meus, quam timor. Veritus sum deesse Pompeii saluti, cum ille aliquando non defuisset meae. Itaque vel officio, vel fama bonorum, vel pudore victus, vt in fabulis Amphiaras, sic ego, prudens et sciens, ad pestem ante oculos positam sum profectus*.

Si feceris id, quod ostendis] Si mecum eris, vt scripsisti, quodcumque consilii cepero.

Magnam habeo gratiam] Tamquam id mea causa feceris.

Timori] Quod ea timueris, quae bellorum natura fert.

Mibi] Optanti, vt mecum sis.

Quid rectum sit, — quae sunt rectissima] lisdem fere verbis lib. 4. epist. 2. eandem extulit sententiam:

Z

Si,